

# INTERDICTVR IMPRES-

SIO OPERIS QVONDAM HIERONYMI  
NATALIS, ADNOTATIONVM, MEDITATIONVM,  
atque Imaginum in Euangelia, quæ in Missæ sacrificio toto anno recitantur: necnon  
Imaginum ipsarum seu earum aliquot extractio, delineatio, scalprio, extractarum item  
impressio, venditio, traditio, & retentio, sub mille ducatorum in toto quidem Statu  
Ecclesiastico, extra verò, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis.

## CLEMENS PAPA VIII.



D Futuram rei memoriam. Cùm sicut accepimus, dilectus filius Martinus Nutius Typographus Antuerpiensis ad publicam omnium fidelium vtilitatem opus quòdam Hieronymi Natalis, dum in humanis ageret, Societatis IESV Theologi, Adnotationum, & Meditationum in Euangelia, quæ in Sacrosancto Missæ Sacrificio toto anno leguntur, typis dare intendat; & tam in eo opere, quàm in alterius insignis eius partis, Imaginum scilicet centum quinquaginta trium scalpura, quibus prædictus Hieronymus, totius operis author, historiam vitæ Christi IESV Domini nostri ex ipsis Euangelicis Missæ lectionibus, iuxta quatuor Euangelistarum veritatem, ac plenitudinem expressit; magna pecuniæ summa exposita iam sit, & adhuc vltior sit exponenda: Nos tanti operis excellentiam plurimum in Domino commendantes; eorumque indemnitati, qui ad operis huius editionem pecunias cõquisitas impenderunt, prospicere cupientes, ne fortè contingat, vt vnde quis prodesse alijs studet, inde damnum, aut præiudicium sibi paret (quod sanè sequeretur maximum, si vel opus Adnotationum ab alijs imprimeretur, vel Imagines ipsæ, earumue ordo, & inuentio, aut distributio extraheretur, seu recuderetur, quod iam à nonnullis intentari intelligimus; qui nuper ex Portorio nostro Urbano centum triginta sex ex operis huius imaginibus, Antuerpia transmissis, suffurati sunt,) ipsumque Martinum à quibusuis Excommunicationis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, illius, aliorumque, quorum interest in hac parte supplicationibus inclinati, eisdem Martino, ac alijs prædictis, quorum nomina & cognomina præsentibus pro expressis haberi volumus, autoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & eiargimur, ne quis quauis ille fuerit dignitate, vel officio, aut priuilegio, vel facultate munitus, per decem annos à data præsentium computandos, Imagines supradictas, vel earum ordinem, inuentionem aut distributionem,  
etiam